Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2669

Quelle:
Copyright:

Conſtant. firmo pede conſiſtat. Sex ultimi *opuſculum* illud *de Sex Erroribus* conſtituunt, quod edit. *cit.* p. 237. *Pragae parietibus Bethlehemiticis inſcriptum* fuiſſe dicitur a. 1413.

III. *fol.* 178. p. 2. *Hec ſunt collecta per venerabilem Johannem de buſſynecz magiſtrum arcium et Bacal. S. Theologye formatum.* Excerpta varia e *Bernhardo*, *Gregorio*, *Hieronymo*, *Ambroſio*, *Joh. Chryſoſtomo*, *Iſidoro*, *Beda*, *Anſelmo*, inter quos tamen etiam *Doctor evangelicus* i. e. *Joh. Wicleffus* comparet. Ne quid vero diſſimulem, animi pendeo, an adlata Inſcriptio non ſit potius clauſula praecedentis Catecheſeos, quam Titulus horum Συγγραμμάτων.

IV. *fol.* 190. absque Titulo Tractatus ſcholaſticus de Excommunicatione. Incipit: *Credo communionem ſanctorum &c. Scribitur in Symbolo apoſtolorum quia ſpiritus ſanctus habitat in ſanctis* &c. Poſt querelas de abuſu Cenſurarum haec legas: *Ideo ex permiſſione matris mee alme vniuerſitatis ſtudij pragen. iuxta concluſionem eiusdem aſſumpſi tractandos articulos duos* (nempe 11. et 13. e 45. damnatis *Wicleffi*, ut dixerat ante) *ſi deus tribuerit de excommunicatione loquentes quorum primus eſt conſequens. Nullus prelatus debet aliquem excommunicare niſi prius ſciat ipſum eſſe excommunicatum a deo. Secundus, qui ſic excommunicatus* (omiſſum: dimittit predicare vel verbum dei audire) *ex hoc fit hereticus vel excommunicatus* &c. *Joh. Huſſus* in Tract. *de Eccleſia* edit. *cit.* P. I. p. 311. teſtatur *Fridericum Epinge Baccalaureum Iur. Can.* ſolennem poſitionem feciſſe, ſed tantum de priore Articulo, et en illam, ut ex aliis *Codicibus* liquet, quos in *Indice* habes. De tempore Scriptionis aliquid ex eo ſtatui poteſt, quod *Pragena* Articulorum *Wicleffi* condemnatio in annum 1408. cadat.

DCCIV.

Codex chartaceus lat. boh. 548
Sec. XV. Folior. 375. 4. maximam partem charactere craſſo exaratus, olimque *Wenceslai* ſaepe memorati *Roſſii* complectitur *Sermones* ſacros tam de Tempore, quam de Sanctis per annum, quorum primus: *Infra Octauam natiuitatis Jeſu chriſti* in illud: *Puer autem creſcebat et confortabatur. Luc.* 2. hoc initio: *Bene puer dicitur chriſtus* &c. Ultimus: *In feſto laurencij* in illud: *Niſi granum frumenti cadens in terram* &c. hoc initio: *Quilibet fidelis chriſtianus ſi vlt venire poſt chriſtum* &c. Multis phraſibus *Bohemicis* paſſim conſperſi ſunt. *Fol.* 40. miniatam hanc Notam adſcripſit Librarius: *Anno d. MCCCCLXI. — — hoc anno et eodem tempore ſub rege Georgio qui fuit dominus et ſcutifer de kunſtat alias de podiebrat electus fuit in regem Bohemie per barones et communitates ciuitatum eo tempore legati ſeu ambaſiatores ad apoſtolicum qui tunc fuit electus in papam Pius* (Aen. Sil-